

Ad quartum dicendum, quod si non esset iste primus Angelus qui modo est, esset alius primus ad quem alii mensurarentur; sicut si non esset hoc primum mobile, esset aliud, cuius tempus esset mensura.

Ad quintum dicendum, quod cum ævum sit participatio aternitatis, quanto aliquid magis est in participatione aternitatis, per prius mensuratur ævo: & ideo cum Angelus beatus magis sit in participatione aternitatis quam ille qui per peccatum corruit, non sequitur quod Angelus beatus mensuretur ad ævum dæmonis, sed e converso.

## ARTICULUS III.

*Utrum duratio Angeli inceperit ante mundum.*

*I. P. quæst. LXI. art. 3. & de pot. quæst. III. art. 18.*

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod duratio Angeli ante mundum inceperit. Gregorius enim Nazianzenus (orat. xxxviii.) dixit, quod Deus primo excogitavit angelicas substantias; & excogitatio ipsius, opus ejus est, ut dicit Damascenus (Lib. II. cap. 111.) Ergo videtur quod ante alias creaturas Angelus factus sit.

2. Præterea. Creatura corporalis non æquiparatur spirituali. Sed ideo dicitur Deum noluisse mundum ab æterno facere, ne mundus sibi æquiparari videretur. Ergo videtur quod nec creaturam corporalem simul cum spirituali facere debuerit.

3. Præterea. Nullus potest habere cognitionem alicujus rei fiendæ, nisi præexistat aliquid ejus esse. Sed secundum Augustinum (II. Lib. super Genes. ad lit. cap. viii. & Lib. V. cap. 1. & alibi) Angelus in Verbo accepit cognitionem creaturæ per Verbum fiendæ, quæ cognitio matutina dicitur. Ergo videtur quod Angelus ante alias creaturas factus sit.

4. Præterea. Secundum aliquos, Angeli movent cælos. Sed motor præcedit mobile. Ergo videtur quod Angeli præcesserunt cælos, & alia (1) corporea.

Sed contra. Quandocumque fuerint Angeli, distiterunt ab invicem per essentialitatem. Sed distantia aliquorum non potest intelligi nisi loco existente, nec locus, nisi sit corpus. Ergo Angeli ante corporalia creati non sunt.

Præterea. Si Angelus ante corporalia creatus fuit, oportet quod nunc creationis Angeli sit prius quam nunc creationis mundi. Sed ubicumque est nunc prius & posterius, ibi est tempus. Ergo oportet quod ante mundum fuerit tempus; quod est impossibile, ut videtur: quia tunc esset & motus.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod creatio rerum dependet ex voluntate Creatoris, qui tunc, & non prius res creare voluit; quæ quia nobis nota non est, initium creationis rerum ratione investigare non possumus, sed fide tenemus, prout nobis traditum est per eos quibus divinam voluntatem revelatam credimus.

Sciendum est ergo, quod circa inceptionem rerum, sancti convenientes in eo quod fidei est, scilicet quod nihil est ab æterno præter Deum, varia, ad minus quantum ad verborum superficiem, dixisse inveniuntur in his quæ de necessitate fidei non

(1) Al. corpora. (2) Al. tum.

sunt, in quibus licuit eis diversimode opinari, sicut & nobis. Plures enim eorum qui Augustinum præcesserunt, ut Hieronymus, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, videntur possuisse Angelos ante creaturam corporalem factos, & corporalem per spirituales successive distinctam. Augustinus vero ponit corporalem simul & spirituales creaturam factam, & corporalem simul secundum materiam & species, non tamen secundum individua, quæ successione temporis generantur. Sequentes vero, ut Gregorius, & Beda concordant cum Augustino in coævitate corporalis & spiritualis creaturæ, & cum aliis in successione distinctionis corporum per species diversas: & ideo communiter tenetur quod Angelus non est factus ante corporalem creaturam: hoc enim probabilius videtur, tum ex parte divinæ omnipotentia, cuius non est successive operari, tum ad excludendum errorem, ne viderentur Angeli corporalem creatores esse. (2) Tamen alteri sententiæ præjudicandum non est, ut in littera dicitur; quia non est demonstratum, nec fide expressum.

Ad primum ergo dicendum, quod si diversorum dicta ad convenientiam reducere volumus, quod tamen necessarium non est, potest dici, quod auctoritates quæ coævitate negare videntur, exponendæ sunt secundum ordinem dignitatis, & non durationis.

Ad secundum dicendum, quod non est simile: quia Deus præcedit creaturam, non solum dignitate, sed etiam causalitate, quam ostendit mundi inchoatio: quia, ut Rabbi Moyses dicit, facillima via ad ostendendum Deum esse, & ab ipso esse omnia, est ex suppositione novitatis mundi: & ideo statutum est in lege ut septimo die festum ducerent, in quo mundus consummatus est, ut per novitatem mundi semper in cognitione Dei permaneret. Sed spiritualis creatura excedit corporalem dignitate, non causalitate; quæ ne credi causa ejus posset, congrue simul utraque facta est.

Ad tertium dicendum, quod de re jam facta potest accipi cognitio ejus ut fiendæ, si consideretur in causis suis, ex quibus processit: & sic Angeli susceperunt cognitionem rerum fiendarum in Verbo, quod est ars operativa rerum.

Ad quartum dicendum, quod motor non necessario præcedit mobile duratione, sed dignitate, ut patet de anima, & corpore.

Alia rationes ad oppositum sunt etiam sophisticæ: quia essentia Angeli non necessario indiget loco; nec eorum definitio est secundum ordinem, vel distantiam localem, sed secundum principia essentialia. Similiter etiam alia objectio procedit de tempore imaginato: quia scilicet nunc imaginari ante mundum possumus, sicut etiam multas lineas extra cælum.

## QUÆSTIO II.

**D**Einde quæritur de cælo empyreo, in quo Angeli facti dicuntur: de quo tria quærentur.

Primo. Utrum sit corpus.

Secundo. Quale sit.

Tertio. Utrum influentiam habeat super alia corpora.

AR-

## I. QUÆSTIO III.

## ARTICULUS I.

*Utrum cælum empyreum sit corpus.*

*I. P. quæst. LXVI. art. 3.*

1. **A**D primum proceditur sic. Videtur quod non sit corpus. Omne enim corpus naturale est sensibile, & præcipue sensu visus. Sed cælum empyreum non est visibile, sed intellectuale, ut in littera dicitur. Ergo non est corpus.

2. Præterea. Cælum empyreum est locus contemplationis. Sed contemplationi non debetur locus corporalis, quæ etiam existentes in corpore à corporibus abstrahit: quia, secundum Augustinum (Lib. IV. de Trinit. cap. xx.) *quandiu aliquid divinum mente percipimus, non in hoc mundo sumus.* Ergo videtur quod cælum empyreum non sit corpus.

3. Præterea. Philosophus probat in I. Cæl. & mund. (text. lxi. xcix. c. & pluries) quod extra primum mobile non est aliquid corpus, extra quod tamen quodammodo ponit vitam beatam, quam nos dicimus in cælo empyreo esse. Ergo videtur quod non sit corpus.

4. Præterea. Corporum naturas perscrutati sunt Philosophi, quibus etiam Deus sua invisibilia revelavit, secundum Apostolum ad Rom. 1. Sed de cælo empyreo nullam mentionem fecerunt. Ergo non est corpus.

Sed contra. Omne quod movetur in loco, est in loco: quia motus localis est primus motuum, ut in VIII. Physic. (text. xlv.) probatur. Ergo videtur quod primum mobile sit in loco. Sed locus est superficies corporis continentis. Ergo oportet quod habeat corpus continentem quietum: & hoc dicimus cælum empyreum.

Præterea. Sicut dicitur in II. Cæl. & mund. (text. lxi.) perfectius est quod acquirit bonitatem sine motu, quam quod per motum acquirit. Sed Dei perfecta sunt opera. Ergo oportet perfectissimum corpus esse immobile.

Præterea. Ante omne multiforme et aliquid uniforme, ut in IX. Methaph. (text. li. lii. & iv.) probatur. Sed est aliquid cælum difforme, quod parum est diaphanum, & partim lucidum actu ut cælum stellatum. Ergo oportet aliquid esse tantum diaphanum, & aliquid tantum lucidum: quod etiam concludi potest ex propositione qua dicitur Philosophus in VIII. Physic. (text. xviii. ac deinceps) quod si aliquid invenitur compositum ex duobus, quorum unum invenitur per se, oportet & reliquum per se inveniri. Sed diaphanum est sicut potentia respectu lucidi. Ergo oportet primum corpus esse totum lucidum actu: & hoc dicimus cælum empyreum.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cælum empyreum ratione investigari non potest: quia quicquid de cælis cognoscimus, hoc est aut per visum, aut per motum. Cælum autem empyreum nec motui subjacet, nec visui, ut in littera dicitur: (1) unde nec naturali ratione, sed per auctoritatem est habitum: & est corpus quod principaliter ordinatum est ut sit habitatio beatorum; & hoc magis propter homines, quorum etiam corpora glorificabuntur, quibus locus debetur.

*In II. Sent. Tom. II.*

(1) Al. deest unde nec naturali ratione. (2) Al. & uniforme. (3) Al. & uniformi. (4) Al. & uniformi.

quam propter Angelos, qui loco non indigent: & quia illa gloria excedit investigationem humanam, ideo etiam & cælum empyreum.

Ad primum ergo dicendum quod cælum empyreum dicitur intellectuale, quia nostris visibus non subjacet, sed intellectu tantum capitur, non quod in se non sit visibile.

Ad secundam dicendum, quod cælum empyreum dicitur locus contemplationis, non quantum ad necessitatem, sed quantum ad congruitatem, sicut etiam Ecclesia dicitur locus orationis.

Ad tertium dicendum, quod probationes Philosophi hoc demonstrant, quod extra totum universum non sit aliquid corpus, non quod extra hoc cælum non sit aliud cælum: quia in numero sphaerarum etiam Philosophi dissentite inveniuntur.

Ad quartum dicendum, quod ratio jam dicta est, quare Philosophi hoc cælum non cognoverunt, quia nec motui, nec visui subjacet: & tamen multa quæ de istis dixerunt, non demonstrative, sed probabiliter cognoverunt: unde ipsemet Philosophus testatur in II. Cæli, & mundi (a text. lx. usque ad lxxii.) topica solutione se solvere quæstiones difficiles.

Alia etiam rationes non sunt cogentes: quia ultimum cælum quod movetur, non est in loco per se, sed per accidens, ut dicit Philosophus in IV. Physic. (text. xlv.) ubi Commentator etiam diversas sententias Philosophorum de hoc ponit: nec etiam oportet quod id quod sine motu bonitatem divinam participat, sit corpus: nec iterum oportet quod multiforme reducat (2) ad uniforme corporum.

## ARTICULUS II.

*Utrum cælum empyreum sit lucidum.*

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod cælum empyreum non sit lucidum. Quia secundum Avicennam (VI. Natur. part. iii.) causa luciditatis est congregatio partium diaphani, ut patet in crystallo: & hoc dicit Commentator in Lib. de substantia orbis (cap. iii.) Sed cælum empyreum est subtilissimum, cum sit nobilissimum corporum, & maxime formale. Ergo cælum empyreum non est lucidum.

2. Præterea. Cælum empyreum est majus quantitate, & virtute quam sol. Sed sol quando directe nobis opponitur, facit nobis diem, & à nobis videtur. Ergo cum cælum empyreum semper nobis opponatur directe, videtur quod si esset lucidum, semper nobis esset dies, & semper videremus ipsum: quod falsum est.

3. Item. Videtur quod non sit immobile. Omne enim quantum habet partes distantes. Sed quod habet partes distantes, ubi est una pars ejus, potest esse etiam alia, ita & singulæ partes ejus possunt esse ubi non sunt; & quod est hujusmodi, est mobile secundum locum. Cum ergo cælum empyreum sit quantum, quia est corpus, videtur quod sit mobile.

4. Præterea. Omne corpus naturale est mobile: tum quia natura est principium motus, tum quia corpus materiale est corpus in materia; & materia, & motus se consequuntur. Sed cælum empyreum est corpus naturale; alias esset mathematicum, & imaginabile. Ergo cælum empyreum est mobile.

5. Item. Videtur quod sit divisibile per densitatem.

D 2

tem,

tem, & raritatem: Vox enim non potest formari nisi in tali corpore, quod per modum istum dividitur, sicut in aere. Sed in caelo empyreo formabitur vox, quia erit ibi laus vocalis; ut a multis dicitur. Ergo videtur quod sit divisibile.

6. Præterea: Omne corpus per quod est motus, est divisibile per rarefactionem, & condensationem, nisi ponantur duo corpora esse in eodem loco. Sed corpora gloriosa in caelo empyreo movebuntur, ut dicitur Sap. 111. 7. Fulgebunt iusti, & tanquam scintilla in arundinetis discurrent. Ergo est divisibile: & ex hoc ulterius potest concludi, quod sit generabile, & corruptibile: quia densitas, & raritas sunt quedam principia generationis, & corruptionis.

Sed contra. In littera dicitur, quod dicitur empyreum non ab ardore, sed a splendore; dicitur etiam, quod a volubilitate mundi secretum est: dicitur etiam, quod non habet ardorem, & per consequens nec aliquam qualitatem activam, nec passivam. Ergo est incorruptibile, (1) immobile, & lucidum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod cum omnes res determinentur a fine, oportet conditiones caeli empyrei accipere secundum quod convenit statui bonorum, propter quod factum est: & quia illi sunt in plena participatione æternæ lucis, & quietis, & æternitatis, ideo debet caelum empyreum lucidum, immobile, & incorruptibile esse.

Ad primum ergo dicendum, quod illa ratio procedit de eo quod est hoc modo lucidum, quia radios emittit sensui nostro visibiles: propter quod etiam ignis in propria sphaera non lucet. Sic autem non dicimus lucidum caelum empyreum, sed quia in natura sua lucem habet, eo quod maxime formale est.

Et per hoc patet responsio ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod quanto, prout quantum est, non debetur proprie locus, nec per consequens potentia ad ubi; sed prout habet determinatam naturam: unde dicitur in I. de gener. (text. XLIV.) quod mathematicis similitudinariè dandus est tactus, & motus.

Ad quartum dicendum, quod naturale potest dupliciter sumi. Uno modo prout dividitur contra ens in anima; & sic dicitur naturale omne illud quod habet esse fixum in natura; & sic caelum empyreum, & Angeli dicuntur naturalia. Alio modo dicitur naturale, secundum quod dividitur contra ens divinum, quod abstrahitur à materia, & motu; & sic naturale dicitur illud solum quod movetur, & est ordinatum ad generationem, & corruptionem in rebus; & hoc modo caelum empyreum non est ens naturale, sed divinum, quod ordinatum est ad gloriam bonorum; nec materiam habet determinatam ad motum, sed ad finem suum: quia & mathematici non abstrahunt ab omni materia, sed à sensibili tantum, ut in VIII. Metaph. (text. II. III. & XV.) dicitur. Unde non oportet, ubicumque est materia, quod sit motus; sed verum est quod in mobilibus, & immobilibus est materia æquivoce.

Ad quintum dicendum, quod caelum empyreum est locus Angelorum, animarum, & hominum. Angelorum autem, & animarum exutarum constat quod non erit in caelo empyreo laus vocalis; sed utrum hominum post resurrectionem futura sit ibi laus vocalis, dubitatio est: quibusdam dicentibus non futu-

(1) Al. mobile: item in mobile, & lucidum.

ram ibi esse laudem vocalem, sed solum mentalem, quæ dignior est, quia nec erit ibi respiratio; sed solum in respirantibus est vox, ut in II. de Anima (text. LXXXVIII. & XC.) dicitur. Alii vero dicunt, futuram etiam ibi laudem vocalem, non propter aliquam indigentiam, sed ut nihil in sanctis vacet à divina laude, neque mens, neque lingua. Quomodo autem esse possit, ita dicunt, quod scilicet in pulmone, & instrumentis vocalibus est aer, & per illum aerem poterunt voces formare, sicut & animalia quæ habent spiritum complanatum, ut dicitur in Lib. de som. & vigil. (cap. III. post medium.) Et hoc quantum ad aliquid videtur esse conveniens, quia ad formationem vocis non est necessaria expulsio, vel attractio aeris: unde respirando non potest animal vocem formare, ut dicitur in II. de Anima (text. XC. & XCI.) Sed quoad aliquid videtur insufficiens: quia ad vocem non tantum exigitur aer interior, sed etiam exterior, cuius contractione, & motu sonus deferatur. Unde plus addendum est, ut dicamus, quod quedam sensibilia deferuntur ad sensum secundum esse spirituale tantum, sicut species colorum: quedam quæ contingunt organum secundum esse suum materiale, sicut in gustu, & tactu: quedam vero deferuntur utroque modo, sicut species odorum cum permixtione fumalis evaporationis; tamen species extenditur ultra fumalem evaporationem. Et similiter est de sono, & motu: ibi tamen species soni deferatur secundum esse spirituale tantum: unde non oportet esse motum in medio, aut contractionem, aut condensationem. Vel potest dici, quod etiam erit contractio caeli empyrei: nec hoc erit ei ignobilitas, quia erit instrumentum motum à lingua glorificata, & materia vocis prolata in laudem divinam: nec propter hoc sequitur quod sit generabile, & corruptibile: quia raritas, & densitas sunt æquivoce dicta in isto corpore, & in aliis corporibus; sicut etiam ponunt Astrologi inter duas sphaeras, quæ non possunt scindi, esse aliquod spatium repletum corpore divisibili, cum in isto spatio sit motus planetarum, secundum motum epicycli.

Et per hoc patet responsio ad ultimum.

Item per miraculum fieri potest quod duo corpora sint in uno loco, quod oportet esse ad minus, dum corpus gloriosum supra caelum empyreum transferatur mediante celesti corpore, quod non scinditur. Quid autem de his verum sit, incertum est, quia nec fide determinatur, nec ratione probatur.

ARTICULUS III.

Utrum caelum empyreum habeat influentiam super alia corpora.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod caelum empyreum influentiam habeat supra alia corpora. Ita enim est in aliis elementis, quod semper continens est salvans contentum, quamvis sit contrarium sibi, eo quod est locus eius, & habet se ad ipsum, sicut actus ad potentiam, & sicut totum ad partem divisam, ut dicitur in IV. Phys. (a text. XLVI. usque ad XLIX.) Sed caelum empyreum continet alios coelos. Ergo multo fortius, cum non contrarietur eis, videtur quod (1) influat in eos continendo, & salvando eos.

2. Præterea. Secundum Avicennam, & alios Philosophos, sol habet effectum in istis inferioribus

(1) Al. non influat.

per lumen suum, quod irradiando emittit. Sed caelum empyreum est totum lucidum. Ergo videtur quod influentiam habeat in inferiora corpora.

3. Præterea. In primo mobili est dextrum, & sinistrum, & alia positiones, ut in II. de Cael. & mun. (a text. XLII. usque ad XLV.) determinatur. Sed hoc non potest esse nisi per influentiam alicuius superioris. Cum ergo nullum corpus sit superius, nisi caelum empyreum: videtur quod influentiam ejus habeat.

4. Præterea. Ad nobiliorem formam animæ vegetabilis disponit lux caeli siderei. Ergo cum anima sensibilis sit nobilior, videtur quod ad ipsam disponat lux caeli crystallini; ulterius ad animam rationalem lux caeli empyrei; & sic influentiam habet in inferiora.

Sed contra. Status gloriæ est alius à statu generationis, & corruptionis, qui competit via. Caelum autem empyreum ordinatur ad statum gloriæ. Ergo videtur non esse ejusdem ordinis cum aliis corporibus. Sed ea quæ non sunt ejusdem ordinis, non habent influentiam ad invicem. Ergo caelum empyreum non influat in alia corpora.

Præterea. Angeli sunt nobiliores caelo empyreo. Sed Angeli non habent causalitatem super alias res. Ergo multo minus caelum empyreum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod caelum empyreum nullam habet influentiam super alia corpora, quæ rationabiliter poni possit. Non enim ponimus aliquod corpus habere influentiam super aliud, nisi per motum: quia, ut in Lib. de Causis (propos. 111. prope fin.) dicitur, etiam anima in hoc ab intelligentia deficit, quia non imprimit in res nisi movendo eas, & multo minus corpus. Nullum autem corpus movet nisi motum, ut à Philosophis probatum est: caelum enim per motum suum causat generationem, & corruptionem in istis inferioribus: unde dicitur in VIII. Phys. (text. 1.) quod motus ejus est sicut vita existentibus omnibus. Unde dicit Rabbi Moyses, quod caelum in universo est sicut cor in animali, cuius motus si ad horam quiesceret corporis vita finiretur. Unde cum caelum empyreum ponatur immobile, non potest rationabiliter poni influentiam super corpora habere. Constat enim quod non habet influentiam sine motu ad modum creatis. Nec tamen negatur quin Deus potentiam influendi sine motu ei conferre potuisset; sed quia hoc nec auctoritate confirmatur, nec ratione, ideo positio eorum qui dicunt caelum empyreum influentiam super alia corpora habere, eadem facilitate contemnitur qua tenetur: & præcipue cum in talibus non queratur quid Deus per miraculum possit facere, sed quid naturæ rei conveniat, ut dicit Augustinus II. super Genes. (cap. 1.)

Ad primum ergo dicendum, quod corpus motum motu recto, generabile, & corruptibile, indiget loco continente, & conservante; & ista virtus locandi, & conservandi attenditur in uno elementorum respectu alterius, cum virtute caeli influentis in elementa per motum. Corpus autem motum circulariter, incorruptibile, non indiget ad motum loco extrinsecus conti-

nente, nec etiam ad conservationem: & quod aliquod hujusmodi corpus habeat exterius continens, hoc est per accidens, ut in IV. Phys. (text. XLIII. circa finem) Commentator dicit: unde non dependet ab eo nisi in quantum revolvitur revolutione ejus. In caelo autem empyreo non ponitur aliqua revolutio: unde non remanet aliquis influendi modus.

Ad secundum dicendum, quod lux caeli empyrei, ut dictum est, non est per modum fulgoris irradiantis in alia corpora, & ideo nec etiam illuminationem influat in alia corpora: cuius ratio est, quia cum sit virtuosissimum corporum, & maximum, sine lumine solis omnia illuminaret. Et præterea lumen caeli non est causa effectiva in inferioribus, nisi supposito motu, qui à caelo empyreo removeretur.

Ad tertium dicendum, quod dextrum, & sinistrum sunt in caelo ex virtute motoris sui, quicumque sit iste, non ex influentia alicuius corporis, sicut & in animali est ex virtute animæ.

Ad quartum dicendum, quod nobilissima dispositio quæ unquam potest esse in corpore ad formam, est infra nobilitatem caeli: unde eadem virtus celestis est per quam corpus disponitur ad formam elementi, & mixti, & animæ vegetabilis, sensibilis, rationalis: nec oportet, si hoc caelum disponit ad animam vegetabilem, quod non possit disponere ad animam sensibilem, nisi probetur quod ex hoc esset ultimum virtutis ejus, quod falsum est. Unde patet quod ista positio fundatur super tria falsa. Primum est quod dispositio quæ est in corpore humano ad animam, non possit esse ex virtute solis. Secundum est quod lux sit corpus materialiter veniens in compositionem animati. Tertium est quod sit per medium inter animam & corpus: quæ sunt absurda apud omnes qui rationabiliter loctri sunt: & ideo uno inconvenienti dato, alia contingunt; & hoc non est mirum.

EXPOSITIO TEXTUS.

Quantas prius æternitates... fuisse arbitrandum est? Videtur falsum dicere quia æternitas est tantum una. Præterea. In quo differt sæculum, tempus, & æternitas?

Ad hoc dicendum, quod in Angelo est tria considerare, scilicet esse ejus, cuius mensura dicitur sæculum: quia, ut dicitur in primo de Cael. & mun. (text. c.) sæculum dicitur finis uniuscujusque. Secundum operationem ipsius, in qua res in propria natura cognoscitur per species innatas, in qua est vicissitudo, & aliquis modus motus; & sic mensuratur tempore, quod tamen est aliud ab eo quod est numerus motus caeli. Tertio operationem qua Verbum intuetur; & sic fit in participatione æternitatis, & beatitudinis: & secundum quod sunt multæ beatitudines participatæ, ita & æternitates; quamvis beatitudo essentialiter sit tantum una.

Sed ibi caelum vocat Dei celsitudinem. Hoc caelum non est corpus, quia caelum sanctæ Trinitatis dicitur esse idem quod essentia majestatis ejus: in quo caelo nulla creatura potest esse: sicut nec æquari Deo: sed tantum tres coæternæ, & coæquales in eo sunt personæ.